NICOLAI STENONIS

Ad Virum Eruditum, cum quo in vnitate S. R. E. deſi-derat æternam Amicitiam inire.

EPISTOLA.

DETEGENS ILLORVM ARTES,

Qui ſuum de Interprete S. Scripturæ errorem Sanctorum Patrum teſtimonio conſirmare nituntur.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872 FIRENZE



FLORENTIÆ,

Ex Typographia Nicolai Naueſij. MDCLXXV. *Superiorum permiſſu.*

324.16

QVam fidem mereatur veſter van der waien toto illo opere, quo orthodoxam, vt ait, de interprete S. Scripturæ Sententiam, & rationibus, & authoritatibus contra wolzogium defendendam ſuſcepit, teſtatur fides ipſius in SS. Patribus pro ſuæ doctrinæ confirmatione adductis; *vbi doctrinam illis affingit contradictoriam ei, quæ iiſdem in libris imò interdum in eodem, quod citatur, Capitulo legitur.* Sex è Patribus adducuntur, Irenæus, Baſilius, Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, & Cyrillus Alexandrinus, quos in Sanctorum numero nos habemus, ille purioris Eccleſiæ membra, & Antiſtites appellat. Hos ille Subiungit teſtimonijs variorum authorum, & Synodorum Caluini dogmata approbantium, vt ex illis confirmet principium Caluini; eſt autem principium Caluini. *Scripturæ interpretationem non à ratione, non ab Eccleſia, ſed ab ipſa ſcriptura cuilibet Fideli petendam eſſe: Patrum verò doctrina eſt: Scripturam quidem per Scripturam explicandam eſſe, quando id fieri poterit, ſed nec omnem Scripturam per Scripturas explicari poſſe, nec cuiuslibet eſſe haſce Scripturam interpredandi vias priuatim inquirere; ſed cuilibet fidelium veram Scripturæ interpretationem ab Eccleſia Dei petendam eſſe;* vt ſingulorum teſtimonijs Probabo.

S. Irenei de vero ſenſu Scripturæ obtinendo hæc eſt doctrina: *Legendas diligenter Scripturas eſſe apud eos, qui in Eccleſia ſunt præsbÿteri, apud quos eſt Apoſtolica doctrina.* L. 4. adu. hæretic. cap. 52. *vbi igitur Chariſmata Domini poſita ſunt, ibi oportet diſcere veritatem, apud quos eſt ea, quæ ab Apoſtolis eſt, Eccleſię ſucceſſio &c. qui Scripturas ſine periculo nobis exponunt* cap. 45 *adhærendum iis, qui & Apoſtolorum doctrinam cuſtodiunt, & cum praſbyterij ordine ſermonem ſanum.* cap. 44. *Quapropter eis, qui in Eccleſia ſunt præsbiteris obaudire oportet, his qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis ſicut oſtēdimus, qui cum Epiſcoporum ſucceſſione Chariſma veritatis certum ſecundum placitum Patris acceperunt;* de reliquis verò, *qui abſiſtunt à principali Succeſſione*, ait ibidem, *omnes decidūt à veritate* cap. 43. *Vera agnitio eſt Apoſtolica doctrina* &c. *Cuſtodita ſine fictione, Scripturarum, tractatione pleniſſima.* &c. *Lectio ſine falſatione, & ſecundum Sſripturas expoſitio legitima, & diligens, & ſine periculo, & ſine blaſphemia* cap. 63. Ex quibus S. Patris locis dicimus hanc eſſe ipſius ſententiam, Scripturæ interpretationem petendam eſſe non a priuata lectione, non vbiq; à quolibet promiſcuè, ſed in

Eccleſia Apoſtolica, ſeu ab illis qui cum vera ſucceſſione Epiſcopatus habent vnctionem veritatis. Id quod è diametro contradicit illi doctrinæ, quam van der waien dicti patris auctoritate vobis commendat.

S. Baſilij de interprete Scripturæ ſententiam docebit nos ipſe à Vander waien citatus liber, vbi in proemio legitur, *Diſtingui Eccleſiam in membra, quibus datum eſt donum docendi, adeoq; in doctrina manendum eſt,& in membra quę ædificatione indigent, quæ ex fonte cæleſtis hauritur doctrinæ, quibus interrogandi ſunt Seniores*, & interrog. 1. *eſſe doctrinam geminam in Eccleſia, vnam in Scriptura diſtinctè traditam, aliam in Scriptura prætermiſſam, adeoq; neceſſe eſſe in omnibus aut Deo ſubÿci, aut aliÿs propter mandatum Dei*. Vnde duo patent veſtræ doctrinæ è diametro contraria. Primò non omnem Eccleſiæ doctrinam in ſcripturis contineri. Secundo, non cuilibet Fidelium competere Scripturæ interpretationem, ſed interrogandos eſſe Seniores de quibus ait Moral. reg. 72. cap. 2. *Qui diuinarum litterarum cognitionem non ita magnam habent, ex fructibus Spiritus verum Sanctorum virorum ſignũ agnoſcere debent*. Quæ omnia confirmant velle illum, vt ab alijs diſcamus interpretationem Scripturę, ſecus ac veſtri, qui vrgent vt nemini fidat aliquis in Scripturæ interpretatione.

Diuus Chryſoſtomus eadem homilia, quæ contra nos adducitur vrget, *Canoni Scripturæ inhærendum, ſcopum Scripturæ ſequendum, quærendos eos, qui Scripturas non delectationis ergo legunt, ſed vt fructum inde referant*, at ſi Canonem, ſi ſcopum ſcire debeo, ſi in Magiſtro quærendo delectus habendus, ſanè non poterit ſecundum Diuum Cryſoſtomum ipſa ſacra Scriptura apud omnes eſſe ſui ipſius interpres. Sed & hæc verba pulcherrimè S. Patris mentem indicantia vide: *Scripturæ ſe ipſam explicantis, modò nos non adhæſerimus verborum craſſitiei*; at quis mihi ſignificabit, quæ verba craſſo modo à me ſumuntur? Ipſa ſe ipſam explicat Scriptura, ſed perfectorum ſapientiam aſſequuto, qui fidei normam percepit, qui Scripturæ ſcopum nouit; at vnde ſciam mihi hæc competere, & non potiùs iſta, quæ de falſis S. Scripturæ interpretibus refert? *Eſſe illos in via perditionis à Diabolo aperta volentibus ſeruire illi, eſſe illorum rationem obſcuratam atque obtuſam, ignorare illos verum S. Scripturæ ſenſum, domeſticis rationibus moueri, nihil Deo dignum cogitare, nec ad verborum, condeſcenſum, vt apellat, attendere*. Ad Theſal. autem Homil. 5. c. 4. *comparat Eccleſiam cum ſchola, vbi quidam è diſcipulis aliorum Magiſtri ſunt*, Sed S. Chryſoſtomi methodum inueniendi illum, cui credendum, ſeu quod idem eſt, verum S. Scripturæ interpretem, adeoque verãm Eccleſiam, peculiari Epiſtola expoſui.

S. Ambroſius eodem, qui contra nos adducitur, libro, ait. *Eccleſia, contra quam conſpirant, quibus inter ſe ipſos non conuenit*, & lib. 4. cap. 7. *Seruemus itaque præcepta maiorum nec hæreditaria ſignacula auſi rudis temeritate*

tate violemus, & alibi. *Librum Sacerdotalem quis noſtrum reſignare audeat, ſignatum à Confeſſoribus, & multorum iam martyrio conſecratum*, inde, *quomodo fidem eorum poſſumus negare, quorum victoriam prædicamus*. Vnde patet eſſe hanc ipſius doctrinam, Eccleſiæ fidem à maioribus traditam martyrijs confirmatam eſſe ſequendam, qui ipſe lib. 3. in Lucam verſus finem confert, *imperitum ſcripturas legentem puero, qui machæram tractat, adeoque vulnus ex imprudentia non ſalutem ex lectione accipit*: ſed & lib. 7. Comment. in Lucam cap. 11. comparat *fidem lucernæ quæ lucere nequit niſi accendatur in Eccleſia, in qua ſeptiformis Spiritus relucet gratia, & quam Princeps ille Sacerdotum fulgore ſupernæ diuinitatis illuminat, quam appellat Hieruſalem quæ in Cælo eſt, in qua militat Fides noſtra*. Sed & Gratianus Imperator ab ipſo citatum Librum per Epiſtolam exigens inuitat eum, vt credentem doceat veram doctrinam de Spiritu S. Scripturis & argumentis confirmatam. Methodus a Diui Ambroſij hæc eſt, primò *Eccleſiæ doctrinam proponere*, ita n. incipit. Aſſertio noſtræ fidei hæc eſt. Inde doctrinam illam *probare Scripturis, argumentis, & Confeſſorum atque martyrum auctoritate*.

S. Auguſtinus in Libro de doctrina Chriſtiana, totus in eo eſt vt oſtendat modum S. Scripturam interpretandi ſecundùm Fidei normam; at ſi requiritur norma Fidei ante Scripturæ lectionem, vnde mihi norma Fidei niſi ab Eccleſia petenda. Sed expreſſa S. Patris verba afferam ex libro de moribus Eccleſiæ Catholicæ citato à Van der waien p. 70. lib. 3. contra Volzogen. Vbi S. Pater l. 1. cap. 1. ita ait: *Scripturarum expoſitio ab ys petenda eſt, qui earum Doctores ſe eſſe profitentur*, & infra. *Nec ſi ea diſcere cupiens in aliquos fortè inciderit, vel Epiſcopos, vel Præsbyteros, vel eiuſmodi Eccleſiæ Catholicæ Antiſtites, & Miniſtros, qui aut paſſim caueant nudare myſteria, aut contenti ſimplici fide altiora cognoſcere non curarint, deſperet ibi ſcientiam eſſe veritatis, vbi neque omnes à quibus quæritur docere poſſunt, neque omnes qui quærunt diſcere digni ſunt. Et diligentia igitur, & pietas adhibenda eſt; altero fiet, vt ſcientes inueniamus, altero vt ſcire mereamur*, cap. 10. *Neque enim veſtræ, ſtultæ & impiæ diſputationes vllo modo cum piorum, doctiſſimorumque hominum ſermonibus per quos in Eccleſia Catholica Scripturæ illę volentibus digniſque aperiũtur, comparari queunt* cap. 18. *audite Doctos, & Eccleſiæ Catholicæ viros, &c.* Sed ecce tibi locum, qui omnibus Acatholicis D. Auguſtinum pro ſe adducentibus os obturat cap. 34. *Chriſtiani ſunt enim non hæretici, intelligunt Scripturas ſecundùm Apoſtolicam diſciplinam, non ſecundùm ſuperbum & commentitium nomen Apoſtolatus*. Scilicet ieiunijs noſtris falſo à vobis adſcriptam à carnibus tanquam immundis abſtinendi cauſam Sanctus Pater in Manichœis condemnat ex eodem Apoſtolo ex quo ſe illi tuebantur, vnde ſi S. Auguſtinus vobis eſt orthodoxus, diſcite ex illo 1. abſtinentiam a carnibus in Eccleſia ſemper laudatam fuiſſe

& vi-

& vſitatam 2. abſtinendi cauſam illam nobis inique affingi, quàm in Manichæis, & tum temporis D. Auguſtinus, & nos etiã nunc hodie damnamus.

Quod S. Cyrillum Alexandrinum ſpectat, docet ille citati libri proæmio, *non cuiuſuis eſſe aggredi ſacrarum literarum interpretationem, ſed eorum qui ad Sacerdotium diuinum vocati ſunt ijs in cumbere populo diſcenda ſignificare, horum ſilentium noxium eſſe venientibus ad diſcendum: Sed & his ipſis difficilem eſſe Scripturarum explicationem, adeoque ijſdem ſtudioſè cauendum, ne à recta via deflectat: Imo contra hæreticorum e S. S. propoſitas erroneas doctrinas arripiendum Fidei ſcutum, & Eccleſiæ dogmata ipſaque ſcripturæ loca ab hæreticis peruersè explicata non reſcindenda eſſe, ſed per rectam Fidei rationem conuertenda in nutrimentum* Lib. 9. iu D. Ioan. ait. *Hanc nos dogmatum rectitudinem & veritatem docuit SS. Patrum ſapientia, ſic docti ſumus loqui, & ſapere etiam per ipſas Sacras Scripturas*, inſr. *Sed Eccleſia quidem Chriſti vtpote dogmatum rectitudine ſe commendans hanc de vnigenito ſententiam habet, quam* locò prolixè defendit contra peruerſam explicationem Scripturæ ab hæreticis allatam, qui cum Scripturæ conſuetudinem ipſi obijceret meruerunt, vt eandem conſuetudinem in ipſos retorquendo ad abſurdum eos redigeret oſtendens *conſuetudinem applicandam tempori, perſonæ et rei Scopumque Scripturæ ſequendum*. Idem in Ioan. c. 3. n. 21. & c. 2. n. 24. *docet requiri hanc prudentiam in illis, quibus myſteria Dei credita ſunt, & qui habent poteſtatem docendi, vt neophitis proponant fidem in ſimplicibus, rationibus potius quàm in Sermone profundo & expoſitione operoſa, idque exemplo Chriſti, qui cum Nicomedes non intelligeret verba Chriſti, vt tamen vera illa licet non intellecta crederet, ſubiungit, quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur, adeoque ſi me Magiſtrum credis & Deum mecum eſſe, propter opera mea, vt confeſſus es, etiam verbis meis crede, vt vt captum tum Superantibus.* Vnde patet ſex prædictos Patres vnanimi conſenſu docere *S. Scripturæ interpretationem ab Eccleſia petendam eſſe*, quæ ſententia ſententiæ Van der waien contradictoria eſt, dum vult Scripturæ interpretationem non ab Eccleſia, ſed à ſola Scriptura petendam eſſe.

Sufficeret ſola veritatis demonſtratio ad falſitatis euerſionem ſed ad detegendas malas artes ipſa loca pro vobis adducta excutienda mihi erunt.

Primus locus eſt ex S. Irenæo aduerſus hæret. lib. 4. c. 63. Vnde hæc verba adducit: *ſecundùm Scripturas expoſitio legitima, & ſine periculo*, quæ verba & in ſe indeterminata ſunt, & ab excerptore mutilata, indeterminata eſſe probant varij modi, quibus ſuppleri poterit illa propoſitio pro varietate ſignorum, quæ illis præfiguntur: *Omnis ſecundùm Scripturas expoſitio eſt legitima & ſine periculo: ſola ſecundùm Scripturas expoſitio eſt legitima & ſine periculo; quædam ſecundùm Scripturas expoſitio eſt legitima & ſine periculo.*

Primam determinationem vos vnà nobiſcum falſam admittitis ſine dubio,

bio, ſaltem falſam ipſe citatus D. Irenæus probat, qui hæreticorum ſecundùm Scripturas expoſitionem illegitimam, periculoſam & blaſphemam appellat. Secunda determinatio veſtra eſſet, ſed ab Irenæo impugnata, qui traditionem validè defendit. Tertia determinatio eſt D. Irenæi & noſtra, qua dicitur quandam ſecundùm Scripturas expoſitionẽ eſſe legitimam, & ſine periculo, Scil. illam, quæ in Eccleſia reperitur apud legitimos Apoſtolorum ſucceſſores.

Vt truncata agnoſcas, ipſum D. Irenæum conſule, & inuenies addita hæc duo verba, *diligens & ſine blaſphemia*, dum ait: *Secundùm Scripturas expoſitio legitima & diligens, & ſine periculo, & ſine blaſphemia*: Scilicet viderat excerptor ex illis verbis agnoſci facilè citatam propoſitionem non eſſe propoſitionem integram, & ſi maximè pro integra haberetur, non tamen poſſe accommodari veſtro principio; nec enim ſola ſecundùm Scripturas expoſitio dici poterit diligens & ſine blaſphemia, cùm & ſecundùm rationem expoſitiones diligentes & ſine blaſphemia interdum reperiãtur.

Duo artificia vidiſti, vnum indeterminata adducendi, alterum verba obſutura truncandi, accipe & tertium, ex eodem loco impugnandi id, quod in eodem loco expreſsè aſſeritur. Verba S. Patris hæc ſunt. *Vera agnitio eſt Apoſtolica doctrina, &c. cuſtodita ſine fictione, Scripturarnm tractatione pleniſſima, &c. lectio ſine falſatione, & ſecundùm Scripturas expoſitio legitima & diligens, & ſine periculo & ſine blaſphemia.* Agitur ibi de Apoſtolica doctrina cuſtodità ſine fictione, cuſtodem ergo inuenit Eccleſiam à vobis negatam. At quis veritatis amans loco indeterminato vtitur ad determinatam doctrinam probandam? Quis niſi animo ſupprimendi veritatem detruncat verba veritati lucem allatura? Quis, vt Eccleſiam Dei deſtruat, viris Dei doctrinam affingit ab ipſis impugnatam, niſi cui animus eſt ipſi Deo repugnare?

Secundus D. Irenæi locus contra nos adductus eſt ex eiuſdem tractatus lib. 3. cap. 11. *Oſtenſiones quæ ſunt in Scripturis non poßunt oſtendi niſi ex Scripruris.* At quid hoc ad probandum, nullam Eccleſiam, ſed ſolam Scripturam eſſe conſulendam? Oſtenſiones quæ ſunt in Scripturis non poſſunt oſtendi, niſi ex Scripturis: ergo illas ego oſtenſiones ipſe inde eruere poſſum, nec vllo vel homine vel Eccleſia egeo ad illas inde ſine periculo eruendas. Si autem hoc inde non ſequitur fruſtra pro vobis adducitur. Sed verum eorum, ſenſum ex ipſo authore diſcamus, cum citatus locus optimam mihi occaſionem porrigat noſtrum principium vobis ex eodem authore euidenter proponendi. Vt probet S. Pater veritatem doctrinæ, quæ in Eccleſia Catholica conſeruatur geminam oſtenſionem affert lib. 3. Vnam per traditionem, alteram per Scripturas. De prima oſtenſione agit cap. 3. & 4. Vbi deducit ſucceſſionem Pontificum à D. Petro, vſque ad ſua tempora, & traditionem in rebus Fidei, tum argumento probat,

tum exemplo, argumentum hoc eſt. *Quid autem ſi neque Apoſtoli reliquiſſent nobis Scripturas; numne oportebat ordinem ſequi traditionis, quam tradiderunt ijs, quibus committebant Eccleſias?* Exempli loco affert *integram gentem, quæ ſcriptam habens per ſpiritum in cordibus ſuis ſalutem abſque notitia Scripturæ, per ſolam traditionem Apoſtolicam hæreticorum praua dogmata abominabatur?* Altera oſtenſio per Scripturam, de qua ita incipit cap. 5. Traditione itaque quæ eſt ab Apoſtolis ſic ſe habente in Eccleſia & permanente apud nos, reuertamur ad eam, quæ eſt ex Scripturis oſtenſionem; hinc vt Apoſtolorum doctrinam de Deo ex SS. probet primò de Euangeliſtis agit cap. 9. 10. & 11. indę ad reliquos Apoſtolos pergens vbi poſt adductam D. Petri, & D. Philippi doctrinam D. Paulum profert, in Synagogis, in Areopago, & Lycia de Deo diſſerentem. Hic cùm dixiſſet ſe in alio loco oſtendere epiſtolas eius conſentire profeſſioni in citatis modò locis ab illo factæ ſubiungit. *Nobis collaborantibus his oſtenſionibus, quæ ex Scripturis ſunt, & quæ multifariam dicta ſunt breuiter & compendiosè annuntiantibus, & cum magnanimitate intende, & non longiloquium puta. Oſtenſiones enim quæ ſunt in Scripturis non poſſunt oſtendi niſi ex Scripturis.* Scilicet prolixa Scripturæ loca adduxerat, vnde veritus ne prolixitas tædium pepe} riſſet, neceſſitatem prolixitatis oſtendit, ac ſi dixiſſet: Si longiloquium putaueris tot S. Scripturæ loca integra adduxiſſe, ſcito quando dogmata probantur per demonſtrationes in Scripturis obuias, non poſſe id aliter fieri, quam ipſas è Scripturis demonſtrationes afferendo, at iam ante docuerat aliam eſſe dogmatum oſtenſionem, ſeu demonſtrationem nempe per traditionem, in qua oſtenſione non neceſſarium eſt ex Scriptura demonſtrationes adducere, cùm integræ gentes per ſolam traditionem abſque Scripturæ notitia doctrinam Apoſtolicam contra hæreticorum errores defendant, vt cap. 4. eiuſd. libri ait: id quod è diametro contradicit veſtræ doctrinæ D. Patris authoritate à vobis confirmatæ, qua dicitis in dogmatis Fidei nulli nec homini nec Eccleſiæ credendum eſſe, ſed ſoli Scripturæ, & ęius interpretationem non aliunde, quàm ab ipſa Scriptura petendam. Et hic quartum artificium detegitur, quo, quod ab Authore allatum eſt tanquam proprium ſpeciei vnius, ab excerptore applicatur generi vniuerſaliter. Dixerat Author Eccleſiam demonſtrare dogmata Fidei, idque duobus modis, vno ſine Scriptura, altero per Scripturas, & de hoc altero dixerat, quando demonſtrantur per demonſtrationes in Scripturis obuias, non poſſe aliter demonſtrari, quin ipſæ illæ Scripturæ afferantur. At excerptor hoc abſolutè citat, ac ſi docuiſſet Author dogmata Fidei non poſſe probari niſi per Scripturas.

Locus D. Baſilij eſt ex Aſcet. 267. vbi ait: *quæ ambiguè & quæ obſcurè videntur dici in quibuſdam locis S. Scripturæ ab ijs quæ in alijs aperta ac perſpicua ſunt explicantur.* Videtur hic locus admodum fauere vobis, quando

mente

mente iam tum præoccupata legitur, at qui depoſitis præiudicijs illum examinat, facilè agnoſcit: illo non probari quod probandum erat. Primò enim indeterminata eſt propoſitio, adeoque vt vos illi ſignum vniuerſale proponitis, ſic nobis licet ſignum particulare illi præfigere; ſanè D. Baſilius non abſolutè illam pronuntiat, ſed vt obiectionem allatam ex SS. contra æternitatem pœnarum ſoluat, affert dictā propoſitionem, & adiungit, *artificium Diaboli hoc eſſe, vt obliti homines locorum de æternitate pœnæ, eò tutiùs peccent*. Sed quid hoc ad probandum in Scripturæ interpretatione nulli Eccleſiæ, ſed ſoli Scripturæ fidendum; poſito enim non conceſſo in Scriptura reperiri loca aperta, per quæ omnia loca obſcura explicantur, inde tamen non ſequitur, Ergo nulli Eccleſiæ credere debeo Scripturam per Scripturam explicanti, vel, Ergo ipſe dignoſcere poſſum, & debeo, hæc loca hiſce locis explicari, Vnde enim noui me minùs expoſitū eſſe fraudibus Diaboli à Diu. Baſilio detectis quàm alij ſunt, ſi recurris ad clementiam Dei prouidentia ſua impedientis ne Diabolus fallat eum, qui Deum quærit, ſanè maiori ratione credeudum prouidentiam Dei hanc gratiam concedere potiùs vniuerſæ Eccleſiæ à ſe fundatæ ita vt portæ inferni contra eam præualere non poſſint, & cui perpetuam aſſiſtentiam S. Spiritus & ſuam ipſe Chriſtus promiſit, quam ſibi vel Luthero, Caluino, aut alij contra humilitatis & charitatis principia omnes alios erroribus obnoxios credenti ſeque ſolum ab erroribus excipienti. Et hoc quintum artificium eſt probandi ſcilicet, quod non erat probandum.

Diuum Chryſoſtomum appellat magnum Scripturæ amatorem & laudatorem & de loc allat. ex tom. 1. in Geneſ. homil. 13. ait, exertiſſimè illum loqui. Verba à van der waien adducta hæc ſunt: *Sacra Scriptura ſe ipſam exponit, & neminem errare ſinit*. Si autem ipſum Sanctum euoluis, hæc ibi verba inuenies, *etiamſi Sacra Scriptura, cùm ſimile quid nos docere voluit, ſe ipſam expoſuerit, nec paſſa fuerit errare auditorem*: Vbi ſolitas artes agnoſce truncandi quæ non placent, & abſolutè aſſerendi, quæ aliorum occaſione dicta ſunt. Scilicet quidam de Paradiſo in Geneſi dicta, per Cœleſtem Paradiſum explicabant, negantes dari Paradiſum Terreſtrem, quos refutat D. Chryſoſtomus ex ipſis verbis Paradiſum ibi determinantibus, & ait Scripturam in ſimilibus locis ſe ipſam explicare, id eſt, verba determinata proferre quæ lectorem non ſinunt errare, adeoque ſe ipſam exponere, non ibi intelligit de loci dubij per alium clariorem explicatione, ſed per circumſtantiarum in eodem loco determinationē, vnde factum, vt illos confutaret non alio aliunde adducto loco, ſed ſola verborum eiuſdem loci repetitione: Videamus quid in veſtri fauorem faciat locus, quem van der waien exertiſſimum appellat. S. Scriptura in certis locis tali circumſtantiarum determinatione vtitur, vt auditorem errare non ſinat, Ergo in Scriptura interpretanda nulli Eccleſiæ credere debeo, ſed ſoli Scripturæ.

Ergo

Ergo nulla dantur Scripturæ loca, quæ non vel ipſa in ſe vel in alijs locis indeterminata ſunt. Hæc enim inde ſequi deberent ad veſtrum principium exertiſſimè probandum. At ſi illi contra quos agit D. Chryſoſtomus in legenda Scriptura errauerunt, quid vos vobis tutiora promittitis? Sed ipſum Diui Chryſoſtomi argumentum citato à vobis loco allatum, in compendium redigam. *Si non obſtante hac præciſa determinatione quidam præ ſuperbia ſcriptis contraria dicũt, quo non deuoluti fuiſsẽt ſi Moyſes tali determinatione non fuiſſet vſus?* Eliciamus hinc contra vos argumentum *Si id generis interpretes errauerunt in locis, vbi determinatus eſt ſenſus verborum, nec aliorum locorum comparatio neceſſaria eſt ad veram interpretationem inueniendam, quis adeò temerarius eſſet, vt ſibi arrogaret ſe abſque erroris periculo inuenturum interpretationem illorum locorum, qui per ſe indeterminata opus habent alijs locis determinatis, queis explicentur?*

Quod ſpectat ſecundum D. Chryſoſtomi locum ex Hom.33. in acta Apoſtolorum, de illo iam alibi oſtendi veſtram doctrinam funditùs euerti ex loco, quem vt vobis maximè fauentem propoſuiſtis.

Ex D. Ambroſio hæc verba pro vobis adducuntur. *Nolo argumento credas ſancte Imperator, & noſtræ diſputationi, Scripturas interrogemus, Apoſtolos interrogemus, item Prophetas, interrogemus Chriſtum.* Quibus verbis probare vult Diuum Ambroſium argumenta reijcere, & ſolam Scripturam afferre, cùm tamen cap. 5. poſt teſtimonia pergat ad argumenta, & in literis Gratiani Auguſti præfixis illi operi legatur Imperatorem petiuiſſe à D. Ambroſio, vt *Scripturis ſimul argumentisq; conuinceret Spiritnm S. eſſe Deum.* Vbi iterum excerptoris artes agnoſce aliorum reſpectu dicta abſoluta adducentis. Scilicet oſtenderat D. Ambroſius modum probandi Arrianorum, totum conſiſtere in Dialectica diſputatione, hinc ne & ipſe Dialecticus argueretur citata verba profert, non quò argumentorum vſum improbet, quem ipſe adhibet, ſed vt oſtendat, nos argumentis quidem vti, non autem argumentis credere, cùm teſtimonium Eccleſiæ habeamus, cuius & caput nominat, & membra, Chriſtum puta, Apoſtolos, Prophetas, Confeſſores & Martires quæ omnia vobis è diametro repugnant. Circa vſum rationis, & argumentorum attendendum, quòd Origenes contra Celſum lib.1. de illis affert. Eſſe ſcilicet Chriſtianis geminas veritatem demonſtrandi vias, vnam domeſticam, ſeu Verbo Dei (quatenus & traditum, & Scriptum amplectitur) propriam, quæ conſiſtit in Spiritu Sermonis, & virtute prodigiorum; alteram ſimul cum Græcis ad Eccleſiam accedentibus receptam, qua quis poſt percepta Græcorum dogmata & diſſerendi exercitia ad Verbum vbi venerit, non modo vera illa omnia eſſe agnoſcet, quæ Chriſtianiſmum conſtituunt, ſed & vbi in illis ſeſe exercuerit, ea vera eſſe alijs probat, & quod ibi defuerit, qua integram demonſtrationem ſecundùm leges Dialecticæ abſoluendam ſupplet;

Non

Non itaque vtimur argumentationibus tanquam neceſſarijs ad fidem, vt pote qui in Spiritu & virtute diuina demonſtrationem longè & certiorem & digniorem habemus, ſed ſi nobis res fuerit cum homine illis aſſueto, oſtendimus nos & hac via illi ſatisfacere poſſe, prout D. Ambroſius vtroque modo ſatisfecit; primò per diuinam demonſtrationem verbi tum ſcripti à Prophetis & Apoſtolis, tum traditi per Confeſſores atque Martyres; ſecundò per demonſtrationem Dialecticam.

Vt S. Auguſtinum vobis patrocinari oſtendat hæc inde verba affert; *Ad obſcuriores locutiones illuſtrandas de manifeſtioribus ſumantur exempla. Et vbi apertiùs ſententiæ ponuntur ibi diſcendum eſt, quomodo in locis intelligantur obſcuris.* At ergone ſequitur, quemlibet debere hoc opus aggredi ſine vllius Eccleſiæ authoritate? Quemlibet poſſe ſola Sacræ Scripturæ lectione agenda & credenda inde eruere? Addit ex eodem, *Ratio contra diuinarum Scripturarum authoritatem quæ redditur, quamlibet acuta ſit, fallit veriſimilitudine, vera eſſe non poteſt.* At hoc quidem valet contra Volzogium, eoque fine bene ab ipſo adducitur, cœtera non facit ad probandum, Ergo Scriptura ſola per ſe ipſam explicanda.

Ex S. Cyrillo Alexandrino hæc verba pro ſententia ſua confirmanda affert. *Non enim illis qui temeraria inueſtigatione, humaniſque potiùs rationibus, quàm authoritate Scripturæ gaudent, gratia ſpiritus veritatem infundit mentibus.* At quid hoc magis pro vobis, quàm pro quolibet alio, quis enim ſuam inueſtigationem temerariam admitteret? Quis Scripturas diuinas credens diceret ſe humanis potiùs rationibus, quàm Scripturæ authoritate gaudere? Non hoc probandum erat, ſed probandum erat, poſſe quemlibet de Scripturæ authoritate & ſenſu certitudinem habere abſque vllius Eccleſiæ illam proponentis authoritate, vbi nos per Eccleſiæ authoritatem, non authoritatem purè humanam credimus, ſed authoritatem diuinam ſua humana voce ſe manifeſtantem.

Et hæ excerptoris artes fuerunt, quibus vt Doctrinæ veſtræ maiorem authoritatem conciliaret, purioris Eccleſiæ membra, & Antiſtites appellat illos Patres, quibus affingit doctrinam ab ipſis impugnatam, adeoque ſepoſita omni in Deum reuerentia Sanctorum Verbis, Dei Verbis abutitur contra ipſam Dei, & Sanctorum de Eccleſia viſibili Doctrinam, quas artes à malitiæ crimine nemo liberauerit. Nec enim ignorantia vlla adeò craſſa fingi poteſt, vel præiudicij vllius tanta efficacia, vt legendo quis Doctrinam verbis euidentibus frequenter repetitam ſibi perſuadi patiatur à verbis quibuſdam indeterminatis ſemel occurrentibus authorem contrarium docere; multò minùs vt mutilet propoſitiones, qui errores voluntatis ſunt non intellectus.

Sed licet ipſum van der waien malitiæ accuſare noluerim, cum potuerit dicta loca ab alio citata tranſcripſiſſe, non poſſum tamen à credulitatis vitio-

vitioſæ labe illum liberare, vnde hoc illi vobiſque omnibus argumentum de vobis ipſis dubitandi oppono: *Si in SS. Patribus interpretandis circa materiam in illis euidentiſſimam tam grauiter erraſtis quam certitudinem vobis promittitis in S. Scriptura interpretanda, vbi loca difficillima occurrere omnes fatentur.* Et quo alio argumento opus ad euertendum principium veſtrum, quàm ſi conſtiterit, *ne ipſos quidem miniſtros apud vos id in re facillima, præſtitiſſe, quod à diſcentibus in re admodum difficili vrgent?* Examinata ratione, quæ vos ad dubitandum inuitat, attendite ad aliam, quæ vos in veram viam ducet, ſaltem tergiuerſantes omnes non ampliùs ignorantiæ aut præiudicij, ſed grauioris criminis conuictos reddet. *Vel animo ſincero dictos Patres Eccleſiæ purioris membra & Antiſtites appellatis, vt veſtra doctrina illorum teſtimonio confirmetur, adeòque etiam doctrinam vnanimi conſenſu ab illis propoſitam veræ Eccleſiæ doctrinam credere tenemini* (quæ eſt *Scripturæ interpretationem in Eccleſia Catholica à veris Apoſtolorum ſucceſſoribus diſcendam eſſe, traditioneſque Apoſtolicas ibi fideliter conſeruatas eſſe obſeruandas*) *vel manifeſtam eorum doctrinam reycitis, & euidens eſt vos malis artibus vſos magna hæc nomina ſpecioſis titulis ornaſſe, vt imperitis perſuadendo Catholicorum principium hodiernum diuerſum eſſe à principio SS. Patrum, à vera Eccleſia falſo argumento illos auertatis.*

Quis enim Veſtrum audita Patrum & quidem purioris Eccleſiæ iuxta vos, mentione non ſibi congratularetur de principij ſui veritate aperta contra Catholicos ex ipſis Catholicorum principijs, Doctoribuſque Sanctorum numero adſcriptis. Et tamen in omnibus his, & Patrum ſententiam peruertitis, & vobiſcum alios fallitis. Nec vos excuſabit, ſi dixeritis, vos hæc argumenta tantùm contra Volzogium, non contra Catholicos adduxiſſe. Primò, quia van der waien hæc adducit vt confirmet ipſum principium Caluini per ſe conſideratum, ita enim ait poſt adducta omnia, & ſuorum & Patrum loca de interprete Scripturæ: *Explicata iam reformatorum ſententia, videndum quomodo iſtam controuerſiam pertractet, & quid de ea ſentiat Volzogius* l. 3. p. 6. pagina verò A. eiuſdem libri indicat ſe contra omnes agere; *Quid reformati, quid vtrique ſed diuerſa via à veritate diſcedentes, Pontificij ab vna, & Sociniani ab altera parte hac de re ſentiant, vno Verbo indicaui.* Secundò, quia ipſe mihi contra Catholicos adduxiſti loca D. Chryſoſtomi, & vniuerſim aſſeruiſti principium veſtrum idem eſſe cum principio Patrum, dum ais, *nec enim antiquitas aliud principium agnouit.* Sed fac hæc omnia ſoli Volzogio dicta, fac omnia loca ſimilia illi D. Auguſtini loco citato contra abuſum rationis, & audi modum argumentandi, quem Origeni debeo, *ſi van der waien credit Patres purioris Eccleſiæ membra, & Antiſtites eſſe, quando illi faîient contra Volzogium, qu ate non pariter illos credit purioris Eccleſiæ membra & Antiſtites eſſe, quando vnanimi conſenſu vobis contradicunt, & docent interpretationem S. Scri-*

ſturæ ab Eccleſia petendam eſſe. Sanè ſi van der waien Deum timet, veritati locum dabit, & purioris Eccleſiæ doctrinam à purioris Eccleſiæ membris, & Antiſtitibus diſcet; id quod ſi aggreſſus fuerit, horreſcet animus eius illicò, vbi viderit quanta præſumptione Scripturæ interpretationem ſibi arrogauerit, munus Eccleſiaſticum abſque vocatione legitima tractauerit, & ouibus Chriſti ad verum ouile reducendis ſe oppoſuerit.

Vnum mali Interpretis vitium expoſui attribuentis authori quæ authori contradicunt, audi alterum deneganti authori quod idem expreſſe docet. Quando noſtri expreſſis verbis proponunt doctrinam Eccleſiæ, citat eos, ac ſi docerent aliquid à doctrina Eccleſiæ diuerſum, dicitquè excidiſſe id authori, authorem ceſſiſſe veritati, ita ait de Bellarmino lib. 2. p. 56. Bellarminum concedere, *non poße hominem ſine ſpeciali illuſtratione credere myſteria Fidei, nec poſſe hominem ſolis naturę viribus ad gratiam recipiendam vllo modo ſe præparare.* Eodem libro p. 68. ait, *Imò tanta huius veritatis vis eſt vt & Pontificijs excidat aliquando.* Verba autem, quæ ibi ait Bellarmino excidiſſe, ſunt ſequentia: *Omnes noſtrę conciones, & omnia alia noſtra ſigna & prodigia non ſufficiunt, vt Fidem noſtram Ethnicis & hæreticis perſuadeamus; niſi Deus ipſe doctor accedat, & mentem eorum hoc diuino lumine illuſtret.* Et ſic ait nobis excidere ea, quæ expreſſis verbis nobis in Concilio Tridentino proponuntur, & eſt doctrina de Fide, vt de iuſtificatione can. 3. *Si quis dixerit ſine præueniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque eius adiutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur; anathema ſit*, id quod in præcedentibus, cap. 5. his verbis exponitur; *ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem neque homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens quippe qui illam, & abijcere poteſt, neque tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit.* Quid de tali interprete ſtatuendum? Quando antiquiores ex noſtris illi cont radicunt, verba eorum ita mutilat & torquet, vt videantur idem dicere: quando verò recentiores ex noſtris idem cum illo dicunt, eos ſibi excidiſſe ait, vt probet hodiernam Eccleſiam Catholicam ab Eccleſia Catholica antiqua diuerſam eſſe, ſuam verò Eccleſiam antiquæ conſonam; ſcilicet vbi quid falſi docet, purioris Eccleſiæ Antiſtites eiuſdem doctrinæ fautores fingit, quò authoritate illorum ſuos errores probet, quando quid veri dicit, ne cogatur fateri noſtram eſſe doctrinam, ait excidiſſe eam noſtris, vi veritatis ceſſiſſe noſtros. Deus illi, & omnibus de ſe qua S. Scripturæ ſenſum inueniendum præſumentibus oculos mentis aperiat, vt ſuam ipſi miſeriam agnoſcant veram S. Scripturæ interpretationē in vera Dei Eccleſia quęrāt.

V. Cl. & Adm. Reu. Domino Nicolao Stenoni.

Auguſtinus Coltellinus S. Inq. Conſ. & lib. Cenſor.

ἰυ πράττειν, καὶ ἐργάζεσθαι ἐν τῷ ἀμπελῶνι τοῦ κυρίου

Legi

Legi Epiſtolam Tuam V. Cl. in qua ſatis ſuperque exagitatam quæſt. de Interprete Sac. Scripturæ tractas Van der waien Caluinianor, cauſam patrocinanti, ſcriptis reſpondens; atque SS. PP. dicta ab eodem prolata, in ipſum fideliter, & acutè retorquens; cumque in ea nihil inuenerim cui ſubſcribere non deberem probandam cenſui: Verum quia comperi rem tibi gratam me facturum, ſi & alior, vota ex quirerem, eam primum P.D. Ioſepho Mariæ Ambrogi Teatino Viſitatori doctrina, ſcriptis, & religione celebri; Deinde P. D. Iacobo Antonio Morigia Sereniſs. Mag. D. Theologo Primario, oſtendi qui vnanimi conſenſu pietatem, & doctrinam tuam probantes meam ſecuti ſententiam ſuis manibus ſubſcripſerunt. Vale V. Cl. Teque incolumen publico bono A. M. D. G. ſerua.

Ego Ioſeph Maria Ambrogi C. R. perlegi hanc Apologeticam Epiſtolam ſui autoris ingenio, eruditione ac Pietate plane dignam, in qua, vindicata S. R. E. ac SS. PP. autoritate ab impudenti Van der waien Calumnia ijs olim impoſita, retortis in eundem, ipſorum SS. PP. teſtimonijs ſuo ipſum confodit gladio, vulnere tamen Van der waien eius que aſſe clarum perfidiæ, quidem mortem, animabus tamen vitam allaturo, quod vnum Nicolao *Stenoni ſemper fuit, ac eſt in votis.*

Ego D. Iacobus Antonius Morigia Cl. Reg. Barnab. in hac D. Nicolai Stenonis Apologetica Epiſtola, quam accuratè legi, excultam animaduerti præclaris eruditionibus, pietatem, propugnatum inconcuſſis ronibus, Eccleſiæ R. Doctrinam, nec non SS. PP. auctoritatem contra ſubdolos Aſſertores fideliter, neruiterque defenſam. Latentem animarum laqueum obtruncauit ſcriptus quidem, ſed viuus ſermo Dei efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. De vniuerſa Chriſtiana Republica optimè meretur qui detectis fraudibus, detractiſque ſpolijs ſub ouiũ pelle incedentium luporum, tantum luminis præbuit Catholicæ Veritati, tantum muniminis ſecuritati. &c.

Die 3. Settembris 1675.

Attentis teſtimonijs ſuprapoſitis.

Imprimatur. F. Franciſcus Antonius Triuerius de Bugella Inquiſitor Generalis Florentiæ.

Mattheus de Mercatis Aduocatus pro Ser. Magno Duc. Etrur.

99 974872